

quait sans doute de poisons, d'une corde, puisqu'il était obligé de recourir à ce singulier moyen pour assassiner un homme? Les auteurs invoqués plus haut, Pierre d'Ailly lui-même, n'ont rien dit de ce clou. Même silence de la part des Colonne et de Philippe-le-Bel. Qui donc l'a trouvé? Mais, le trou existant au crâne desséché du saint, mais le caractère cruel de Boniface, bien capable d'une pareille scélératesse, ne prêtent-ils point à la conjecture? Nos lecteurs nous dispenseront de discuter cette folie.

« Aspirabat ad æterna solatia qui temporalium fuerat con-  
 « temptor. Infirmus jacebat in sola tabula qui mundanos ode-  
 « rat honores: et ad messem perennis gaudii capiendam sanctus  
 « ille medullitus æstuabat. Per totam autem illam hebdoma-  
 « dam usque ad sabbatum ab oratione ferventi spiritum non  
 « relaxabat. Trahebatur ad odorem cœlestium unguentorum;  
 « et quantum poterat armis cœlestibus muniebat finem suum.  
 « Succensa quippe fuerant ejus præcordia Jesu Christi dulcedine  
 « pariter et amore: et cupiens jam dissolvi et esse cum eo, ad  
 « sabbatum, in quo ab omni labore quiesceret, plenis desideriis  
 « ferebatur. Die ergo sabbati hora vespertina, ægritudine cor-  
 « poris invalescente, inter verba orationis, ejus anima de mœ-  
 « rore ad gaudium, de labore ad requiem meruit transire sem-  
 « piternam .....

### DOCUMENT (K).

#### LETTER DE BONIFACE AUX SICILIENS POUR LES FAIRE RENTRER SOUS LA DOMINATION DE L'ÉGLISE.

Bonifacius, etc., universis hominibus Panormi, aliisque per insulam Siciliae constitutis, spiritum consilii sanioris.

Inter caetera tractatus ab Aragonum rege completa juxta ipsius tractatus seriem insulam Siciliae, quae Romanae Eccle-

siae juris et proprietatis existit, cum omnibus juribus et pertinentiis suis praefatus Rex per suas patentes literas nobis et Ecclesiae praefatae restituit, et ad cautelam nostram et ejusdem Ecclesiae circa hoc se nobis fortius et firmius obligavit. Et cum fuerit in ipso tractatu, et sit cordi nostro cura præcipua de reparatione status vestri, et securitate plenaria, more consulti Patrisfamilias, et superioris domini, ad quem spectat præcipue de vobis, sicut de subjectis Ecclesiae, providere ex nostra præminentia potestatis, quam habemus sicut superior, obsolefacta corrigeret, et liberare contractos ab angustiis, ut quiescant, nec minus ex posse nobis ab eodem Rege Siciliae tradito; disposuimus firmiter librato judicio tenere vos in manibus nostris, et ejusdem Ecclesiae, et vestro statui animarum, et corporum securitati, et tranquillitat pacifice, efficaciter, et utiliter prævidere.

Verum cum populus de facili corruat, ubi deficit gubernator, pro vestra gubernatione utili et humano regimine Cardinalem unum vobis gratum et placitum ad dictam insulam, annuente divina providentia, disponimus destinare: propter quod quis de fratribus nostris per hoc sit vobis acceptus, nobis describete: curabimus enim de ipso vestris effectibus complacere. Et procul dubio redeuntibus vobis ad devotionem sanctae matris Ecclesiae sic in vos, qui longe demeriti fuistis ab olim, ubera maternae dilectionis effundet, ac si prope gratae devotionis impendiis fuissetis; peccatorum enim laudanda conversio in coelis etiam justificatione justorum gratius et jucundius acceptatur, etc. Dat. Romae apud S. Petrum IV. non. januarii anno 4.

#### LETTER DU MÊME A FRÉDÉRIC D'ARAGON POUR L'ENGAGEMENT A SE RETIRER DE LA SICILE.

Friderico nato quandam Petri olim Regis Aragonum spiritum concilii sanioris.

De sinu patris in te spargenda semina prodeunt, fructum germinatura multiplicem commodi, honoris et gloriae, si devotus illa suscepis, et ad susceptionem ipsorum velut agrum purgatum spinis et tribulis paraveris mentem tuam. Nosti quidem, ut credimus, et latendi locum non invenit tantae veritatis essentia, quod post apostolatus apicem assumptum a nobis, licet immeritis, inter cæteros nostri cordis affectus, fuit ille profundus, et fervens, quod clarissimum in Christo filium nostrum Jacobum Aragonum regem illustrem germanum tuum, tunc in devio possum, et te in umbra mortis sedentes et tenebris, nostra provisio revocaret a lapsu, et paterna charitas cum præsidio favoris et gratiae ad sanctæ matris Ecclesiæ, unde immensus error vos traxerat, reduceret unitatem.

Et ut hujusmodi noster affectus votivum consequeretur effectum, monitis exhortationibusque paternis te ad præsentiam nostram perduximus, mutuoque tractavimus, ut charissima in Christo filia nostra Catharina Imperatrix Constantinopolitana cum certis subsidiis faciendis per nos, tibi matrimonialiter jungeretur, ad Imperatricem ipsam venerabilem fratrem nostrum G. Aniciensem Episcopum, et dilectum filium religiosum virum I. abbatem S. Germani de Pratis, speciales nuncios nostros, destinare curantes, inducuros eamdem ad complementum matrimonii memorati. Quæ per eos proxime redeuntes ad nos super hoc responsum nobis exhibuit, quod cum tu terram non habeas, et ipsa matrimonii sui sit possessione privata, incongruum sibi videretur et indecens, quod tantæ nobilitatis homines carerent domicilio proprio et opportunis aliis, qualitate habita personarum: sed si fieret tibi in terra provisio, unde tu et ipsa saltem usque ad recuperationem terræ suæ convenientem vitam possetis habere, circa perfectionem præfati tractatus libenter se nostris inductionibus et beneplacitis coaptaret. Nos vero nostrum salubrè propositum prosequentes, et quod cœptum est jam forti et fundato principio, finem prosperum et Deo placitum cupientes habere, cum ipsis

pacis Auctore, cuius vices portamus in terris, perfecta sint opera Ecclesiæ, ac nobis onus adjicimus ut cum effectu perfecti operis te ad gregem dominicum revocemus; sieque ortum ex bello Siculo rancorem et scandalum in omnibus suis partibus succidamus ex toto, quod ex eorum reliquiis nullum supersit residuum, et laeta pax et tranquillitas in locum adveniat odiorum. Ecce quidem ad dictam Imperatricem certos, et speciales nuncios nostros instanter transmittimus, ut cum præfati sui voti concordia per omnes, quos possumus, tramites ejus affectum expeditum et liberum perfectioni dicti matrimonii coaptemus.

Considera igitur, fili, considera paternæ pietatis affectum, et proventurum tibi ex ipsius monitione profectum, et paternis profecto monitis acquiescens. Non enim patris charitas continere se potest quin præcipitem filium, sicut fama, immo infamia volitat, a manifesta ruina retrahat, in qua, ut dicitur, post cessionem et abdicationem occupationis et detentionis illicitæ prædicti germani tui, laudabiliter ad gremium redeuntis Ecclesiæ, assumendo falsum titulum occupationis, injuste, rationis metas exiliens, prosilire proponis, et a Creatoris tui gratia, graviter ipsum offendendo, decidens præceps cadis. Cohibe igitur motus tuos, expecta patris salubre consilium, et obventurum ex eo tibi præ foribus fructuosae ac honorificæ reparationis effectum: nec ulla te maligna suggestio retrahat, vel avertat astutia, quin nostris monitis aures intentas adhibeas, et realiter filialis accomedes promptitudinis intellectum. Proculdubio quidem, si semina nostra sicut verus cultor exceperis, fructus tibi uberes gratae prosperitatis adducent. Sed si ut adversus negligendo saltem suspicere illa tempseris, sicut errantem et perditum expositum te videmus periculis, ut in te tanquam præteritarum culparum excessum successorem vibrans gladium ultionis divina sententia spiritualibus et temporalibus jaculis tarditatem pœnæ compenset judicij gravitate. Et ecce quod venerabilem fratrem nostrum G. episcopum Urgellensem et dilectum filium religiosum virum fratrem Boni-

facium de Calamandrana generalem præceptorem sancti Joannis Jerosolymitani in partibus cismarinis ad te propter ea providimus destinandos. quos in præmissis devotio tua humane recipiat, patienter audiat, et relata per ipsos ad terminos votivæ executionis adducat. Dat. Romæ apud S. Petrum IV. non. Januarii anno 4.

### DOCUMENT (L)

LETTRE DE BONIFACE AU PROVINCIAL DES FRÈRES MINEURS  
RELATIVEMENT A LA CONVERSION DE GUIDO  
DE MONTEFELTRO.

*Dilecto filio fratri N. Ordinis Minorum Provinciae Marchiae anconitanæ ministro.*

Filius nobilis vir Guido Comes Montis-Feltri itam per seipsum, quam per fide dignas personas, aperiens votum suum nobis pluries intimare curavit, quod ipse reversus ad cor, desiderat et proponit pro diluendis peccatis suis, quibus Deum, et Romanam Ecclesiam matrem suam offendit, sibi Religionis habitu finire in Dei servitio dies suos, maxime cum conjugis suæ, prout dicitur, volentis votum emittere perpetuæ castitatis, ad hoc accedat assensus. Nos itaque devotionem suam, quæ prudenter spiritum consilii velle videtur admittere, in Domino commendantes, ut votum suum hujusmodi libentius prosequatur, volumus ut de bonis mobilibus quæ nunc habet, suam possit remunerare familiam, et de immobilibus conjugis suæ tantum supra sortem suarum dotium assignare, quod centum libras Ravennatum, quoad vixerit, habeat annuatim; prius inter ipsum et eamdem conjugem, ut moris est, ea solemnitate qua decet, post votum castitatis emissum, divortio celebrato, prædicta vero mobilia quæ remunerationi familiæ suæ supererunt in quacumque materia, vel forma, in aliquo loco seculo, et apud fideles personas interim deponi volumus, et servari; donec tam de mobilibus, quam

de immobilibus, quæ in præsentiarum possidet, aliud duxerimus ordinandum. Volumus etiam, præfatam conjugem suam propter annosa insuscipibilis ætatis suæ tempora, posse in statu, in quo nunc est, si ad Religionem induci non valeat, licite permanere. Quocirca discretioni tuæ præsentium tenore committimus et mandamus, quatenus ad eundem nobilem te personaliter, si in hujusmodi proposito, sicut credimus, perseverans religionem velit intrare, recipias et facias in manibus, et per manus tuas omnia, quæ circa emissionem votorum, et celebrationem divortii prædictorum conjugum, receptionem ipsius Guidonis ad Religionem, prædictorum dispositionem, ipsorum mobilium requirentur, et alia quæ circa id videris facienda, nobis per tuas litteras rescripturus, quod factum et ordinatum fuerit in præmissis. Cæterum licet sibi in nostra præsentia constituto dixerimus, quod sive in Fratrum Militantium sive in Minorum Ordinem vellet intrare, opportunam sibi viam et auxilium præberemus, et in utroque ipsorum salutarem et devotum Domino posse impendere famulatum; de Minorum tamen sibi potius, quam Militantium Ordinum per te nolumus suaderi quidquam; quia, quamvis Minorum Regula dignoscatur asperior, personarum tamen conditioni, qualitatati mentis et ætati, plenius melius in omnibus et per omnia integra libertas condescendit, Datum Anagniæ X. Kal. Augusti, Pontificatus anno II.

### DOCUMENT (K).

CONSTITUTION SUR LES IMMUNITÉS ECCLÉSIASTIQUES.

Clericis Laicos infestos oppido tradit antiquitas, quod et præsentium experimenta temporum manifeste declarant, dum suis finibus non contenti nituntur in vetitum, ad illicita frena relaxant, nec prudenter attendunt, quam sit eis in Clericos Ecclesiasticæ personas et bona, interdicta potestas: Ecclesiarum

Prælatis, Ecclesiis, Ecclesiasticisque personis Regularibus et Secularibus imponunt onera gravia, ipsosque talliant, et eis collectas imponunt, ab ipsis suorum proventuum vel bonorum dimidiā, decimam, seu vicesimam, vel quamvis aliam portionem aut quotam exigunt et extorquent, eosque moluntur multifarie subjecere servituti, suæque submittere ditioni: et (quod dolenter referimus) nonnulli Ecclesiarum Prælati, Ecclesiasticæque persone trepidantes ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quærentes, plus timentes Majestatem temporalem offendere, quam æternam, talium abusibus non tam temerarie, quam improvide acquiescent, Sedis Apostolicæ auctoritate seu licentia non obtenta.

Nos igitur talibus iniquis actibus obviare volentes, de Fratrum nostrorum consilio, Apostolica auctoritate statuimus, quod quicumque Prælati, Ecclesiasticæque personæ, Religiosæ vel Seculares, quorumcunque Ordinum, conditionis seu status, collectas vel tallias, decimam, vicesimam, seu centesimam suorum et Ecclesiarum proventuum vel bonorum Laicis solverint vel promiserint, vel se soluturos consenserint, aut quamvis aliam quantitatem, portionem aut quotam ipsorum proventuum vel bonorum estimationis vel valoris ipsorum sub adjutorii, mutui, subventionis, subsidii vel doni nomine, seu quovis alio titulo, modo, vel quæsito colore, absque auctoritate Sedis ejusdem: necnon Imperatores, Reges, seu Principes, Duces, Comites, vel Barones, Potestates, Capitanæi, vel Rectores, quoçunque nomine censeantur, civitatum, castrorum, seu quorumcunque locorum constitutorum ubilibet: et quivis alii, cujuscunque præminentiae, conditionis et status, qui talia imposuerunt, exegerint, vel receperint, aut apud aedes sacras depositas Ecclesiarum, vel ecclesiasticarum personarum ubilibet, arrestaverint, saisiverint, seu occupare præsumpserint, vel arrestari, saisiri aut occupari mandaverint; aut occupata saisita seu arrestata receperint; nec non omnes qui scienter dederint in prædictis auxilium, consilium, vel favorem publice vel occulte, eo ipso sententiam excommunicatio-

nis incurvant. Universitates quoque quæ in his culpabiles fuerint, Ecclesiastico supponimus interdicto: Pralatis et personis Ecclesiasticis supra dictis, in virtute obedientiæ, et sub depositionis poena, districte mandantes, ut talibus absque expressa licentia dictæ Sedis nullatenus acquiescant: quodque prætextu cujuscunque obligationis promissionis, et confessionis factarum hactenus, vel faciendarum in antea, priusquam hujusmodi constitutio; prohibito, seu præceptum ad notitiam ipsorum pervenerit; nihil solvant, nec supradicti Seculares quoquo modo recipient. Et si solverint, vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam incident ipso facto. A supradictis autem excommunicationum et interdicti sententiis nullus absolví valeat, præterquam in mortis articulo, absque Sedis Apostolicæ auctoritate et licentia speciali; cum nostræ intentionis existat tam orrendum Secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimulatione transire.

Non obstantibus quibuscumque tenoribus, formis, seu modis, aut verborum conceptione concessis Imperatoribus, Regibus, et aliis supradictis, quæ contra premissa in nullo volumus alicui vel aliquibus suffragari.

## DOCUMENT (L).

### LETTER DE BONIFACE A PHILIPPE-LE-BEL.

Regi Francorum Illustri

Ineffabilis amoris dulcedine sponso suo, qui Christus est, Sancta Mater Ecclesia copulata, dotes et gratias ab ipso suscepit amplissimas, ubertate foecundas, et specialiter inter eas beneficium libertatis. Voluit enim per amabilem sponsam ejus libere fidelibus populis praesesse dominio, ut velut in filios haberet more matris in singulos potestatem, ac eam cuncti cum filiali reverentia tamquam universalem matrem et dominam honorarent. Quis itaque illam offendere vel provocare injuriis non pavescat? Quis